



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**M. Antonii Marsilii Colvmae, Bononiensis, I. C.
Archiepiscopi Salernitani, De Ecclesiasticorum Reddituum
Origine, & Iure Tractatvs**

Colonna, Marcantonio

Venetijs, 1575

M. Antonivs Maffa Salernitanvs, I. C. Lectori. S.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61495)



M. ANTONIVS MAFFA

SALERNITANVS, I. C.

LECTORI. S.



*Q*UOD maximè ab Ecclesiasticis homi-
nibus omnibus fuerat optandum, Le-
ctor optime, vt aliquis aliquando
prodiret, qui eam vitæ rationem,
quam quisque Christianus primis il-
lis Ecclesiæ temporibus iniret, ac quo-
modo ad eam, quam contraximus labem, res paulatim in
clero sit perducta, doceret. Id nunc eruditè, ac copiosè
simul præstat doctissimus Marsilius tuus, qui quod ad
eam rem attinet, priorum temporum seriem, tam accu-
ratè persequitur, ita perspicuè exponit, vt planè inter
sanctissimos illos priorum hominum cœtus tibi versari,
atque oculis intueri videaris, & optimam, quam illi ipsi
sequebantur, viuendi rationem, quidq; singulis quibusq;
in Prouincijs ac sub vnoquoque Pontifice in communi
vita

vita conseruanda, & Ecclesiasticis redditibus dispensan-
dis seruatum sit, tradit. Idq; non solum ex probatissimis
illorum temporum Scriptoribus, verumetiam ex Aposto-
lorum Canonum, & Oecumenicorum, ac Prouincia-
lium Conciliorum publica autoritate, Summorum item
Pontificum Epistolis, & Decretis: ita, vt quæ ad reddi-
tuum Ecclesiasticorum originem pertinent, iam amplius
ab aliquo minimè in dubium reuocanda sint, nisi is pu-
blica rerum gestarum fidei, atque ipsarum legum auto-
ritati obstinatus velit obsistere. Hæc verò de huiusmodi
reddituum origine tractatio quàm necessaria sit, ad eam
quæ de illorum iure ab eo instituta est, re ipsa cognosces.
Videbis enim in quas difficultates inciderint, & quibus
inuoluti tenebris sint interpretes illi, qui origine præter-
missa, ius persequi elaborarint. Porrò autem, ante-
quam eam, quæ de fructuum Ecclesiasticorum iure est,
tractationem aggrediatur, post illorum originem, vnde
beneficia nomen acceperint, quot illorum sint genera,
quibus præterea tum animi, tum corporis dotibus prædi-
tos eos esse oporteat, qui ea ipsa consequi velint, accura-
tissimè atque eruditissimè explicat. Post deinde discrimi-
ne ante oculos posito, earum questionum (dominij nem-
pè Ecclesiasticorum reddituum, atq; eorundem restitutio-
nis) quæ misceri hucusque ac perturbari ab interpretibus
solita sunt, atque vtrunque rationibus, & argumentis
productis, quid tandem ipse sentiat, ita luculenter &
elegantè exponit, vt omnis planè sublata dubitatio vi-
deatur

deatur, clericine domini, an verò vsuarij ecclesiasticorum reddituum sint: quæ res pias fermè bonorum omnium mentes exercere non immeritò potest. Ne verò existimes, Lector beneuole, quæ ab Autore ipso tibi traduntur grauiissimorum destitui testimonio, eos omnes postremò, qui in alterutram sententiam sese propensiores ostenderunt miro ordine recenset, ita ut ipsius opinionem, nedum firmissimis, verissimisq; probari rationibus, sed crebriore etiam cum sacrorum, tum Pontificiorum scriptorum calculo atque consensu communiri, & recipi. Quo factum est, ut scrupulus, qui ex veteribus multorum concertationibus, malè aliquorum animos habere poterat, sublatus planè atque euulsus remaneat. Rem autem omnem ita temperat, ut nullam sibi indulgentiam ad laxiorem ducendam vitam clerici propterea asciscere valeant, quippe qui etsi ab hac forensi restitutione sint liberi, si ecclesiasticis abutantur redditibus, ob maximum tamen letalis commissi reatum quem incurrunt, perpetuis (ut ille demonstrat) flammis addicantur. Quantum autem opera ea in re præstiterit Marsilius hic noster, omnes facilè intelligent, qui secum statuunt, in tanta antiquissimarum rerum & obscuritate & varietate, nihil certi, quod sequeretur, inuenire potuisse, nisi conciliorum omnium, scriptorum, canonum, ac Sanctorum omnium volumina diligenter euolueret; quod per se difficillimum certè, ita illi (qua ingenij præditus est magnitudine) facillimum fuit, ut optimè hodie res geri videatur, si quæ de reddi-

b tuum

tuum origine scriptis mandauit, attentè legantur: *Ali-*
rius verò tractationis veritatem, non obstinatè, vt qui-
dam, sed rationibus & autoritatibus inter se comparatis,
ita monstrat, atque illustrat, vt quid quisque sequi de-
beat, vel lippis pateat. Est igitur, humanissime Lector,
quòd *Marsilio* gratias ingentes agas, qui summa dili-
gentia effecit, vt quæ ad ecclesiasticorum reddituum origi-
nem, & *Ius* maximè pertinent, ex hoc libello, quem lon-
gè antea, quàm *Salernitana* præficeretur Ecclesiæ, aut ec-
clesiasticos ullos perciperet fructus, sine ulla prorsus
la prorsus suspicione cõscripsit, facili negotio disceres. Quod
ipsum, præter insignem illius nobilitatem, eximiam do-
ctrinam, religionem, vitæq; ac morum integritatem, cate-
rasq; (quæ innumerabiles sunt) virtutes & animi illius
dotes deuinctissimum te illi efficere debet. Vale & ab eo-
dem autore in dies maiora expecta. *Romæ Id. Quincti-*
lis M. D. LXXIIII.